

Resp. Neg. min. Etiam si nullus stellaris fixis impressus fuerit motus, tanta tamen esse potest stellarum a se invicem distantia, ut mutua attractio, quam ex distantia pendere observavimus, omnino evanescat.

Præterea certissimum est stellas esse totidem soles proprio lumine fulgentes, circa quos probabilissimum est revolvi non secus ac circa solem nostrum diversa planetarum systemata. Si autem hæc fiat hypothesis jam facile intelligitur stellas singulas in proprio virium centro quiescere vel nihil fere moveri, atque ex systematum omnium conjunctione & æquilibrio, sua mundanæ machinæ constabit firmitas; luculentissimum sane divinæ intelligentiæ & omnipotentæ argumentum.

Instabis 3. Attractio universalis inter corpora terrestria sese conspicuam præberet; globi duo in ipsa telluris superficie magno etiam diffiti intervallo ad se amutuo tenderent, atque tandem ad contactum pervenirent; non secus ac faciunt magnes & ferrum; atqui mutuus ille accessus non observatur: Ergo &c.

Resp. Nego maj. Corpora quælibet tendunt in se mutuo, sed tendunt quoque in terram. Potro attractionem universalem ex quantitate materiæ pendere jam observavimus, illamque attractionem, cæteris paribus, esse ut quantitatem materiæ, in proximo articulo demonstrabimus. Itaque cum quantitas materiæ in terra immense superet quantitatem materiæ in prædictis globis, patet attractionem globorum versus terram esse